



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

147. An in communicatione cum excommunicato non tolerato detur
parvitas materiae? Et quid in Divinis, & Sacris? Et quid si communicet in
crimine criminoso, vel in aliis casibus, in quibus fideles ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Resol. CXLV. &c. 87

3. Dicendum est igitur ex supradictis opinionibus cum Hurtado de Mendoza in 2.2. vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 10. quod ex opinione Suarez sequitur nos non posse communicare cum hæretico damnato ab Inquisitionibus. Ex opinione Sanchez sequitur oppositum. Et nota quod supradicta doctrina applicatur omnibus delictis, secum afferentibus excommunicationem.

RESOL. CXLV.

An nominatim denunciatum, vel publicum Clerici percussorem in uno loco, teneat vitare in alio, ubi delictum est occultum? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 134.

Absolutè affirmativam sententiam tenet Bonacina de cens. disp. 2. q. 2. punct. 6. §. 2. n. 48. tum quia experientia constat delicta unius publica in uno loco præscribi ad alia loca; tum quia delinques amittit jus ad suam famam per publicitatem, seu notitiam publicam delicti; tum quia tenemur obedire præcepto Superioris præcipientis vitandum esse excommunicatum non toleratum, (& excommunicatio suum utique præstat effectum,) tum quia excommunicatus facilius respiciet, si ubique evitetur. Neque obstat ipsum excommunicatum hoc malè accepturum, & inde tristitiam passurum, hoc enim sibi debet imputare, cum ego habeam jus permitendi illius constitutionem ob præceptum Ecclesiæ, & ob ipsius excommunicati utilitatem.

2. Quod respondent communiter talem in publico vitandum non esse, sed in occulto. Ratio est, quia à lege antiqua recedendum non est, nisi quatenus in lege nova exprimitur, l. præterea, in fine, C. de appellat. Cum igitur in Extravagan. Constantiensis nihil decretum sit circa modum excommunicatum vitandi publice, an occultè, sed solum circa qualitatem excommunicatorum, utrum denunciati sint, necne, id est standum est juri antiquo cap. cum non ab homine, de sententia excommuni. ut excommunicati (intellige nunc denunciatos) publicè vitentur, si eorum excommunicatio publicè nota sit; occultè verò si publicè ignota sit. Et ita docet Sylvester ver. excommunicatio, §. num. 1. Atmilla eodem ver. num. 61. Sanchez in summa 1. lib. 2. cap. 11. num. 20. Avila. Layman ubi infra. Vasquez de excommunicatione, dub. 8. num. 2. Henriquez lib. 13. cap. 2. n. 1. & alij.

3. Verùm sententiam afferentem supradictum excommunicatum non solum in publico, sed neque in occulto vitandum esse, puto probabilem esse. Et idè Ioannes Præpositus intertia part. quest. 2. de excommunicatione dub. 16. num. 114. sic ait: Nominatim excommunicatus juxta supradictam explicationem est ubique vitandus, ut in superioribus diximus; non est tamen improbabile, quod si is aliò se transferat, ubi censura passim ignoretur, is qui novit censuram, non teneatur illum vitare. Avila quidem concedit de communicatione publica, in qua sentit non posse vitari; asserit tamen debere vitari in occulto, videri potest 2. p. cap. 6. disp. 11. dub. 12. Alij censent etiam in publico vitandum, quantum scilicet fieri potest sine ulla ejus nota; sed quod diximus, est probabile, etiam de communicatione occulta. Ita Præpositus & alij citati ab Henriquez lib. 13. cap. 6. in glossa lit. C. & quoad publicum percussorem Clerici hanc sententiam admittit etiam Avila ubi supra, ubi sic ait: Vir quidam doctus licet admittat conclusionem respectu illius, qui est publice denunciatus in una civitate, non tamen admittit respectu illius, qui in una civitate est notorius percussor Clerici, & in alia est occultus, nam de hoc dicit, quod non teneor illum vitare, non solum publicè, verum nec occultè, & ait esse de mentem.

te Durandi in 4. dist. 18. quest. 5. circa finem & Paludani quest. 6. dicendum quod quando aliquis est publice excommunicatus in uno loco, non debet evitari publice excommunicatus in alio. Et probat hanc sententiam, quia iste in hoc loco non est notorius percussor Clerici; & potest confirmari. Primo. Nam post Concilium Constantiense, ut ego teneat vitare etiam in occulto percussorem Clerici, requiritur, quod sit notorius percussor; sed in hoc loco non est notorius Clerici percussor, ergo. Secundo, nam hæc notorietas percussoris Clerici non est per sententiam judicis, ut suppono, sed tantum per notorietatem facti, ergo ubi factum est occultum, non est notorius percussor Clerici. Propter quæ videtur mihi hæc sententia valde probabilis, præcipue cum favores sint ampliandi. Ita Avila, quem novissime sequitur Layman lib. 2. tract. 5. part. 2. caput. 5. numero 4.

RESOL. CXLVI.

An quis possit resalutare excommunicatum non toleratum, vel respondere ejus chartis? Ex part. 5. tr. 9. Resol. 116.

Negative respondet Navarrus cap. 27. num. 20. Tolerus lib. 1. c. 12. n. 4. Avila p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 9. & Hurtado disp. 9. de excommuni. diff. 1. num. 4. ubi contra Henriquez & Coninch putat non solum prohibitum esse salutare excommunicatum, sed etiam resalutare, & ita etiam docet Gordonus in summa. 1. 2. lib. 7. q. 10. cap. 5. num. 60.

2. Sed ego puto sententiam affirmativam probabilissimam esse, quam præter Henriquez & Coninch docet Præpositus in 3. part. quest. de excommuni. dub. 14. num. 95. Filiucius tom. 1. tr. 13. cap. 5. num. 84. Ioannes Franciscus Suar. in Enchirid. lib. 6. ver. excommunicatio §. vale. Reginaldus tom. 2. lib. 71. disp. 1. cap. 12. numero 81. & novissime alter Henriquez, Ioannes Sc. in Compend. cas. moral. cap. 20. n. 20. ubi sic ait. [Adverte, quæ quando el descomulgado saluda à otra persona, o escribe alguna carta, se le puede bolver à saludar, y responder à la carta, porque esto no es salutarle, ni escribirle, sino pagar una deuda, lo qual no se prohibe por derecho alguno.] Sic ille, Adde quod multi Doctores asserunt per particulam Vale, solum prohiberi salutationem verbalem, non autem aliis signis factam, ut aperiendo caput, aut assurgendo, &c. Ita Syrus lib. 2. cap. 3. n. 7. Cujus opinionem sequens asserit Megalius in 3. part. lib. 2. cap. 5. q. 3. n. 19. excusandos esse à peccato, & incurfione excommunicationis, & ideo Turrianus lib. 2. disp. 13. dub. 1. docet, prohibitionem salutationis in nostro casu intelligi eam per verba, ita ut non sit prohibitum aliud signum reverentiæ, v. g. aperire caput, & hujusmodi signa, quæ urbanitatis causa fieri solent ex communi hominum more, sed pro contraria sententia adducit Vasq. de excomm. dub. 8. n. 5. & Suarez disp. 15. sect. 1. Unde puto utramque probabilem. Vide etiam Mercetum in 3. part. de Sac. q. 21. dub. 10. & Fabrum de cens. in 4. sent. dist. 25. qu. 1. disp. 4. cap. 6. n. 196. & Layman lib. 2. tr. 5. part. 2. cap. 2. n. 16.

RESOL. CXLVII.

An in communicatione cum excommunicato non tolerato detur parvitas materiæ?

Et quid in Divinis, & Sacris?

Et quid, si communicet in crimine criminoso, vel in aliis casibus, in quibus fideles communicando cum ex-

communicato incurrunt maiorem excommunicationem?

Et an si excommunicatus iudicet, peccet mortaliter?

Et quid, si unum tantum testem recipiat, vel quid simile?

Et quid, si aliqui legunt officium divinum cum excommunicato?

Et an excommunicatus agens in iudicio regulariter loquendo, non peccet mortaliter ratione parvitas materiae, & secus si sapius agat?

Et tandem quaritur, an lavari interdum cum Iudeo in balneo, nonnunquam excipere, vel excipi in convivio, & alia huius generis rarius effecta sint tantum peccatum veniale ob materiae levitatem? Ex part. 5. tr. 5. Refol. 21.

Sup. hoc sup. in Ref. 133. per totam.

§. 1. Affirmativam sententiam docet Avila de cens. p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 3. concl. 2. ubi sic ait:

Vtrum fideles semper peccent mortaliter communicando cum excommunicato in rebus prohibitis? Primo ergo dico, quod si communicent cum illo in rebus secundi generis, est peccatum mortale ex genere suo, dico ex genere suo, nam ex parvitate materiae erit veniale, ut si audiret simul cum excommunicato non tolerato parvam partem Missae, v. g. usque ad Evangelium, vel illud, quod dicitur post consumptionem corporis, & sanguinis Christi. Secundo dico quod si communicent in rebus secundi & tertij generis, tantum est veniale, nisi communicent in crimine criminoso, vel in aliis casibus in quibus fideles communicando cum excommunicato incurrunt maiorem excommunicationem, vel in contemptum Ecclesiae Ita Avila, qui etiam concl. 1. notat, quod si excommunicatus iudicet, peccat mortaliter, quia usurpat jurisdictionem, cum ligata sit ejus potestas, & ideo facit injuriam ei, qui communicavit jurisdictionem, cujus actum usurpat. Usurpare autem jurisdictionem est res gravissima, nisi aliquando excusetur ex levitate materiae, ut si recipiat unum tantum testem, tunc enim venialiter tantum peccabit. Itaque. Hinc Aegidius Cominch de Sac. disp. 1. 4. dub. 14. n. 146 docet, quod communicatio in Sacris cum excommunicato est prohibita sub mortali, sed excipit casum, quod hac communicatio esset valde exigua, ut quando excommunicatus transiit per templum ibi attentus haereret, donec unus brevis Psalmus caneretur, ut notat Avila, p. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 3. concl. 1. idemque addit dicendum esse de communicatione, qua aliqui simul legunt aliquoties Officium divinum privatim, quia haec non continet illam repugnantiam cum fine legis, quam continet ea, quae fit in officiis publicis.

Sup. hoc inf. Ref. 149. §. Notandum est, eorum post med. Et pro si excommunicatus iudicet, contento in hoc textu sup. in Ref. 21. & c.

Et pro hac communicatione in Sacris lege sup. doctrinam Ref. 133.

Sup. hoc sup. in Ref. 131. per totam.

Sup. hoc sup. in Ref. 115. & c.

2. Et tandem non desinam hic adnotare id, quod docet Bonacina de excom. disp. 2. q. 2. punct. 7. n. 11. nempe excommunicatum agentem in iudicio, regulariter loquendo, non peccare mortaliter ratione parvitas materiae, secus si sapius agat.

3. Notandum est etiam hic obiter cum Hurtado de Mend. de fide vol. 1. disp. 76. scilicet 2. §. 45. quod lavari interdum cum Iudeo in balneo, nonnunquam excipi, vel excipere convivio, & alia id genus rarius effecta, non sunt peccata mortalia, si desit occasio ruinæ, sed est peccatum veniale ob materiae levitatem.

RESOL. CXLVIII.

An licitum sit communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus non solum in humanis sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis divinis? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 117.

Sup. hoc pro commu- nicatione in

§. 1. Causa est frequentissima, & ad illum negativè respondet Avila par. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 1.

concl. 3. ubi sic ait: Quando ipse excommunicatus toleratus non se ingerit, neque est paratus ad communicandum cum aliis, non est licitum fidelibus illum provocare, vel invitare ad communicandum in divinis, neque in humanis, sed ipse peccabit in hoc, & divinus excommunicatus ipse peccabit communicando, quovis sit inductus, vel invitatus. Hanc tenet expressè Cajet. ver. absolutionis impedimenta. Sylv. atque alij, sed DD. Probatur primò, excommunicatus ipse peccat quando tunc communicando, ergo etiam alij peccabunt invitando eum, cum non sit paratus. Secundo Concil. Constant. noluit in aliquo favere ipsis excommunicatis toleratis, sed si talis excommunicatus licet posset communicare cum fidelibus quoviscumque invitaretur, retur ab illis, etiam nulla interveniente necessitate, multum redundaret in favorem excommunicati, & ferè nullum præstaret illi impedimentum excommunicationis, ergo. Tertio, nam si prima opinio esset vera, etiam haberet locum in receptione Sacramentorum, quod tamen negant, communiter, ergo, &c.

2. Sed ego contrariam sententiam tenendam esse puto cum Hurtado disp. 2. de excom. diff. 4. numero 13. ubi docet fideles posse licite absque ulla prohibitione divina & naturali communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solum in humanis, etiam cum provocando, in quo DD. convenire videntur, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis divinis. Quia Ecclesia in Extravag. ad excom. scandala, id concessit & indulgit fidelibus, dam dixit, Nemo prae textu censurae abstinere teneatur, &c. Quia si supposita excommunicatione fideles indirectè ne cooperentur cum excommunicato, aut ne illum inducant ad communicationem activam, vel passivam, tenerentur abstinere, non diceretur in Extravag. ita simpliciter & absque ulla restrictione neminem teneri abstinere à communicatione prae textu censurae, id est, quamvis ille, cum quo communicat sit censura innodatus. Et confirmatur, quia si fideles non possent omnino liberè absque peccato aliquo cum excommunicato tolerato communicare, ac si non esset excommunicatus, non satis consultum fuisset scrupulis conscientiarum timoratarum, ut ibi consulti intenditur, & hanc sententiam docet Ledesma in 2. 2. p. 4. q. 5. art. 6. dub. 13. & probabilem esse fatetur ipsemet Avila loco citato.

RESOL. CXLIX.

An communicatio in humanis, & civilibus cum nominatim excommunicato, vel denunciato sit peccatum mortale?

Et an communicans cum predicto excommunicato nominatim prae peccatum veniale incurrit etiam excommunicationem minorem?

Et an detur aliquis casus, in quo incurrit etiam excommunicationem maiorem? Ex p. 5. tr. 9. Ref. 1.

§. 1. Causa quotidie accidit, & affirmativè videtur respondendum per textum in c. sacris de immunit. his qua vi. ubi absolute deciditur communicatio cum excommunicato esse peccatum mortale. Et in cap. de exceptionibus, de exceptionibus, dicitur communicatio nem cum excommunicato in periculum animae reddundare, quod de solo peccato mortali verificandum videtur. Et ita hanc sententiam docet Faber de cens. in 4. sent. dist. 25. quæst. 1. diff. 4. c. 2. n. 51. ubi sic ait: 1. & 4. Hæc communicatio, licet ex suo genere sit peccatum veniale, tamen quatenus specialiter est prohibita, nec potest peccatum mortale, & hoc modo intelligendum est in cap. sacris, de iis qua vi, & alia iura, in quibus dicitur peccare mortaliter eum, qui communicat cum tolerato excom.